

Studiosos me secutos ; denique eos Basileam , qui ob disputationem Theolog. venturi videantur, Heidelbergam nunc sese recipere. Quid faciam ? Negat Princeps se se meditare posse, nisi efflorescentis hujus Scholæ dissipationis autor esse velit. Ipse itaque rem agit, ac eo nomine in horas tabellarium reducem expecto. Meministi autem opimè Dn. Compater quæ mihi ferenda fuerint. Sed nunc etiam adversarii mei in eo Senatu, revocandum clamant. Inhabito cum incolumi familiola, domum bene cultam, in qua tuo tempore D. E. Tremellius (a) habitavit. Optionem dederat princeps ædium Zanchii (b) & harum. Hospites paucos sobrios, nobiles, literatos habeo numero septem. Hi me exhilarant colloquiis eruditis. Defensio mea adversus Jac. Andr. excusa est Neostadij typis elegant, mendo-

---

(a) *Emanuel*, Gente Judæus, Heidelbergam venit ibique primum linguam S. docuit, Syriacam N. T. Interpretationem Latinitate donavit, & postea novam V. T. ad Hebr. veritatis fontes examinationem translationem molitus est, socio tanti laboris Fr. Junio vide plura de eo in Adami V. T.

(b) *Hieronymi*, Gente Italus est, primum Genevæ, deinde Argentorati Theologiam professus. Postea Heidelbergam, hinc Neostadium concessit, & rude donatus cum Heidelbergam denuo amicos salutatum abiisset A. 1590, ibi mortuus est.